

5 hft.

B. 110.



G. J. C. Frommelter


lib. confl.

mat. 1:22

lig: -124

1:46.

parari 1763.



Ch 42, 17 3

OBSERVATIONES PHILOLOGICAE
AD
CLAVDII MAMERTINI
PANEGYRICVM GENETHLIACVM
MAXIMIANO AVG. DICTVM

QVAS
PRAESIDE
CHRISTIANO GOTTLIB. SCHVVARZIO
COM. PAL. CAES. ET ACAD. ALTORFINAE SENIORE
AC PROF. PVBL.

VII SEPTEMBR. A. S. R. CIO IO CCXXXVI
IN CIRCULO ACADEMICO
AD DISQVIRENDVM
PROPONIT

ERHARDVS CHRISTOPHORVS BEZZEL
PERINGERSDORFIO NORIMBERGENSIS



ALTORFII NORICORVM
TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.



OBSERVATIONES PHILOLOGICAE
AD
CLAVDI MAMERTINI
PANTHEONUM GENETHACUM
MAXIMIANO AVG. DICTVM

OVAS
PRÆSIDE
CHRISTIANO GOTTLIE SCHWARZIO
COM. PAL. CAES. ET ACAD. ALTORINAE SENIORE
AC. TROP. EBRI.

VII SEPTEMBER A. S. R. CLIC. CCXXXVI

IN CIRCVLO ACADEMICO

AD DISQVIRENDVM

PRŌPŌNIT

ERHARDVS CHRISTOPHORVS BEZZEL
PERINGERSDORFIO NORIMBERGENSIS



MUSEI HISTORICO-NATURALIS
TYPIS IO. GEORGH MEYERII ACAD. TYPOGR.

VIRIS
PERILLVSTTRIBVS ATQVE GENEROSISSIMIS
DOMINO
ADAMO RVDOLPHO GEVDER

AB ET IN HEROLDSBERG STEIN ET VNTERNDORF
PERILLVSTRIS REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS SEPTEMVIRO
RERVM SACRARVM ET LITTERARIARVM EPHORO
ACADEMIAE ALTORFINAE CVRATORI PRIMARIO
CANCELLARIAE ET CVRIAE TVTELARIS PRAESIDI RELIQVA

DOMINO
GEORGIO CHRISTOPHORO
VOLKAMER

A KIRCHENSITTENBACH
SCHOLARCHAE
CANCELLARIAE ET CVRIAE TVTELARIS
ITEMQVE ORPHANOTROPHII
PRAEFECTO RELIQVA

DOMINO
CAROLO SIGISMVNDI FERDINANDO
GRVNDHERR

AB ALTENTHAN ET WEYERHAVS
SCHOLARVM ET CVRIAE TVTELARIS
NEC NON GERONTOTROPHII LANDAVERIANI
PRAEFECTO RELIQVA

DOMINO
GEORGIO THEOPHILO POEMER

SCHOLARCHAE ET CVRIAE TVTELARIS
PRAEFECTO

LIBERAE S. R. I. REIPVBL. NORIMBERGENSIS
SENATORIBVS CONSVLARIBVS

CVRATORIBVS ACADEMIAE ALTORFINAE
GRAVISSIMIS
DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS
GRATIOSISSIMIS

VALETVDINEM INTEGRAM
TRANQVILLVM ET FELIX REGIMEN
AC QVICQVID PROSPERITATIS VOTIS
EXPETI POTEST
RELIGIOSISSIME APPRECATVS
ET
PRO MVLTIS MAGNISQVE IN SE COLLATIS BENEFICIIS
GRATAM ATOVE PIAM MENTEM
QVOQVO MODO FIERI POTEST
TESTATVRVS

SPECIMEN HOC ACADEMICVM
OMNI OBSERVANTIA DEMISSIQVE ANIMI CVLTV
DEDICAT
ET SE SVOSQVE IN LITTERARVM STVDIIS CONATVS
ENIXE COMMENDAT

ERHARDVS CHRISTOPHORVS BEZZEL
PHIL. ET THEOL. STVDIOSVS.



I.

Latinis ueterum panegyricis, qui prae-^{Proce-}
ter incomparabilem Plinii panegyri-^{miam.}
cum supersunt, et qui, quamuis ad
huius praestantiam haud pertingant,
nihilominus tamen, et sententiarum
argutiis, et inuentionis fecunditate,
non parum se commendant, iam alio tempore duos potissi-
mum, alterum quidem *Latini Pacati Drepanii Theodosio Aug.*
dictum; alterum, quem *Claudius Mamertinus* dixit *Maxi-*
miano Aug. tunc in Gallia commoranti, et natalem Urbis Ro-
mae Treuiris celebranti, obseruationibus Academicis illu-
strauit. Nunc uisum est alium, eumque eiusdem *Claud. Ma-*
mertini Panegyricum Genetbliacum, itidem *Maximiano Augu-*
sto dictum, similiter illustrare, et illustratum ad disquisitione-
nem proponere.

II.

Quod adeo ad auctorem huius panegyrici attinet, sequor *De auctore*
uulgarem opinionem: neque enim prorsus consentiunt uete-^{huius pa-}
negyrici.
A 2 rce

res libri. Antecedentis panegyrici inscriptio in Codice MS. quem ipse possideo, haec est: GENTILIACI RHETORIS OPTIMI PANEGYRICVS DICTVS DIVO MAX. AVGVSTO. In fine istius panegyrici haec uerba notata legimus: PANEGYRICVS SEXTVS DICTVS MAXIMIANO ET DIOCLETIANO FINIT. INCIPIT EORVNDEM GENETHLIACVS. Atque hic posterior est ille ipse panegyricus, quem nunc pro uirili parte explicandum nobis sumimus. Cuius calci haec uerba sunt adscripta: GENETHLIACVS MAXI. ET DIOCLETIANI FINIT. Vides ergo, neque a principio, neque in fine, panegyricum hunc in Codice nostro nomine *CL. Mamertini* signari. Atque ita etiam alii Codices MSS. quos Gudius excerpfit, in ambobus libris, de quibus alibi dixi, non habent nomen *Mamertini* praescriptum; nisi quod in unico Codice scriptum fuerit: EIVSDEM MAMERTINI GENETHLIACVS MAXIMIANI AVGVSTI. Hunc adeo ipsum titulum in excusis libris primus edidit Puteolanus, et deinde Cuspinianus. Praeterea Io. Liuius, A. 1599, nomini *Mamertini* praenomen *Claudii* praeposuit; hosque similiter secuti sunt Ianus Gruterus, Puteanus, et Iac. de la Baune, Cellarius et Patarol. At Beatus Rhenanus A. 1520 hoc elogium praefixit nostro Panegyrico: EIVSDEM MAMERTINI GENETHLIACVS MAXIMIANI AVGVSTI, IN EIVS NATALI DICTVS. *In quo rursus multa sunt in Diocletiani laudem, cuius in imperio consors erat Maximianus.* Rhenanum presso secutus est Henricus Stephanus A. 1591, et 1606; itemque Andreas Riuius, A. 1650. Ex eodem panegyrico aliquot loca excitat Carolus Sigonius, *lib. I de occidentali Imperio*, pag. 8, 16, 17; eundemque adscribit *Mamertino*, et *Mamertinum* uocat *oratore* *Belgicum*, huiusque collaudat *Galliam dicendi copiam*. Antonius Pagi, in *Dissertat. hypatica*, P. I, cap. II, n. VIII, monet, *Panegyrico Genethliaco*, quem Mamertinus dixit Maximiano, restituendum esse legitimum titulum, qui in omnibus fere ueteribus Codicibus lega-

legatur: P. EIVSDEM GENETHLIACVS MAXIMIANI A. ET DIOCLE-
TIANI. i. e. *Panegyricus eiusdem* (Mamertini) *Genethiacus*
Maximiani Augusti et Diocletiani. Utinam Pagius simul
annotasset, ubi asseruentur isti Codices, in quibus titulum
hunc ita scriptum inuenerit! Neque tamen eum improbo:
quia ex ipsius panegyrici argumento liquet, dictum esse in
honorem gemini natalis uitae utriusque Imperatoris, *Dioc-*
letiani et Maximiani; et utriusque laudes eadem oratione
praedicatas esse, quamuis tunc *Diocletianus* absens esset.
Equidem nomen *Diocletiani*, tanquam senioris Augusti, no-
mini *Maximiani* praemittendum fuisse uideatur; putes tamen,
forte ordinem horum nominum ideo inuersum obseruari;
quia *Maximianus* coram audierit panegyricum, eumque de-
scriptum Mamertinus Maximiano ipsi obtulerit, dedicaritque.
Vtuncque uero est, interim uulgatam inscriptionem retinere
malui.

III.

Vt uero eo facilius intelligamus, quae in hoc pane-
gyrico occurrunt, pauca quaedam de ortu et dignitate
utriusque huius Imperatoris ex historia repetemus. CAIVS
AVRELIVS VALERIVS DIOCLETIANVS, teste Victore, in *Epito-*
me, natione Dalmata fuit, Anuleni senatoris quondam
libertinus, matre pariter atque opido, ubi natus erat, no-
mine Dioclea: unde prius *Diocles* appellatus, deinceps, ubi
orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Roma-
num morem conuertit, ut *Diocletianus* audiret. Hic, quod
iam ad priorem Mamertini panegyricum animaduertimus,
anno Christi CCLXXXIII, xv kal. Octobr. h. e. die xvii
Septembris, ac, referente quidem Eutropio, *lib. viii, cap.*
19, ab exercitu de Perside uicta redeunte, post Carum
Augustum fulmipe, et Numerianum Caesarem insidiis, amis-
sos, Imperator consalutatus creatusque est. Sic eodem
anno, et quidem xii kal. Decembr. h. e. die xx Nouem-
bris,

De Diocle-
tiano et
Maximia-
no, Impe-
ratoribus,
quaedam
ex histo-
riam deli-
bantur.

bris, Diocletianus, ut M. Aurelium Carinum, Caesarem, filium Cari Imperatoris, fratrem Numeriani, sibi aduersarium, facilius opprimeret, M. AVRELIVM MAXIMIANVM, natione Pannonem, patria Sirmiensem, Caesarem nuncupavit, et demum anno Christi CCLXXXVI, ipsis Kalendis Aprilibus, teste Idacio, in *Fastis*, ad Augusti fastigium prouexit, siue, ut Eutropius, *lib. VIII, cap. 22*, loquitur, *ex Caesare fecit Augustum*. Quas res uterque hic Imperator ab initio summae dignitatis suae usque ad annum Christi CCLXXXVIII gesserit, praeter scriptores historicos, Victorrem, Eutropium, et alios, commemorauit, aut breuiter attingit, Cl. Mamertinus, in priore panegyrico, quem praesente tunc Maximiano Aug. habuit. Nunc similes laudes utrorumque in hoc altero panegyrico praedicat, easque a rebus usque ad annum Christi CCLXXXI gestis auget.

III.

Deprehendimus, non solum apud scriptores ueteres, sed in antiquis etiam monumentis, *Diocletianum* haud raro IOVII, et *Maximianum* HERCVLII, cognomine insigniri. Sic Gruterus, *pag. CCLXXX, 3*, exhibet monumentum uetustum, quod Cluniae in Hispania, in pulchra quidem columna repertum est:

DIOCLETIANVS. IOVIVS. ET
MAXIMIAN. HERCVLEVS
CAES. AVGG
AMPLIFICATO. PER. ORIEN
TEM. ET OCCIDENTEM
IMPERIO. ROMANO
ET
NOMINE. CHRISTIANORVM
DELETO. QVI. REMP. EVER
TEBANT

Sic

Sic Mediobarbus, in *Numismatibus Imperatorum Rom.* pag. 425, nummum aureum annotavit, in cuius aduersa parte conspiciantur Diocletiani et Maximiani capita coniuncta; in auersa parte duo Imperatores sacrificantes, cum ara, aliisque figuris, supra scriptis nominibus, IOVIO ET HERCVLIO. Sic Eumenius, in *paneg. Constantio Caesari dicto*, cap. III, non alios, nisi Diocletianum et Maximianum, designat his uerbis: *Et sane praeter usum curamque reipublicae, etiam illa Iouis et Herculis cognata maiestas in IOVIO HERCVLEOQUE PRINCIPIBVS totius mundi coelestiumque rerum similitudinem requirebat.* Et de his etiam loquitur Lactantius, de *mortibus Persecutorum*, cap. LI: *Vbi sunt modo magnifica illa et clara per gentes IOVIORVM et HERCVLIORVM cognomina, quae primum a Dioclete ac Maximiano insolenter assumta, ac postmodum ad successores eorum translata uiguerunt?* Nempe horum imitatione etiam posthaec Galerius Maximianus Caesar, gener Diocletiani, *Iouius*; et Constantius ac Constantinus, generi Maximiani, *Herculii*, dicti sunt. Taceo, hinc etiam Romam dictam esse *Herculeam* et *Iouiam*, apud Mamertinum, *paneg. priore*, cap. XIII. item *Iouia et Herculia auxilia*, apud Victorem, de *Caesaribus*, cap. XXXVIII. *Iouias et Herculias cohortes*, apud Vegetium, *lib. I*, cap. 17; et Ammianum Marcellinum, *lib. XXII*, cap. 1, etc. Vide Spanhemium, *dissert. XII*, pag. 497. Quodsi Aur. Victori, l. c. fides habenda, Diocletianus *Iouii*; et Maximianus, *Herculii*, cognomen ab assiduo cultu horum numinum, *Iouis et Herculis*, inuenerunt. *Huic Maximiano, inquit, postea cultu numinis Herculli cognomentum accessit; uti Valerio Diocletiano, Iouium.* Nec nego, fieri potuisse, ut hi Imperatores ab initio cognomina ista traxerint a cultu deorum. *Quidam enim, inquit Lactantius, lib. VI*, cap. 6, etiam *probitate ficta uiam sibi ad potentiam*
numi-

muniunt, faciuntque multa, quae boni solent. Ipse quoque Mamertinus noster, *Genethl. cap. vi*, mire utriusque pietatem laudat. *Sanctiores*, inquit, *deos fecistis exemplo uestrae uenerationis: nunc enim uere homines intelligunt, quatenam potestas deorum, cum tam impense colantur a uobis.* Harduinus, *Select. Oper. pag. 444*, opinatus est, hisce duobus Augustis IOVII et HERCVLII nomina ad designandas primarias eorum uirtutes esse adscripta; propterea, quod alter, Diocletianus nempe, consilio; alter, Maximianus, fortitudine, rempublicam tutati sint. At enim uero nihil dubito, quin hi Principes, obscurissimo loco nati, ubi ex potentia et successu rerum altiores sumserant animos, non solum affectarint originem diuinam, quasi scilicet Diocletianus *Iouem*, Maximianus *Herculem*, generis sui habuerint auctores; sed etiam eo paratius se ipsos, tanquam Iouem et Herculem in terris coli atque adorari fuerint. Huius rei locuples testis est ipse Mamertinus noster. Sic enim, in priore panegyrico, *cap. I*, *Herculem uocat principem generis ac nominis Maximiani Hercullii. Cap. II: Quanto tandem studio, inquit, nos hic conuenit, qui TE PRAESENTEM hic intuemur DEVM, toto quidem orbe uictorem, -- quidquid spiritus et uocis habemus, omne id in laudibus tuis occupare. -- An diuinam generis tui originem recensebo, quam tu non modo factis immortalibus, sed etiam nominis successione, testaris? Idem, in Genethl. cap. II, de utroque hoc Principe: Vos DIUS ESSE GENITOS, et nominibus uestris, sed multo magis uirtutibus, approbatis. Atque, ut nunc cetera, quae huc pertinent, loca praeteream, maximum huiusmodi adulationis specimen e *cap. x* repeto: *Non opinione traditus, sed CONSPICVVS ET PRAESENS IVPITER COMINVS INVOCARI; non aduena, sed Imperator HERCVLES ADORARI.* Similiter auctor incertus *panegyrici epithalamii*, genero Maximiani Hercullii, Constantiniano*

stantino dicti, *cap. VIII: Hic est, inquit, qui nomen, quod accepit a DEO, PRINCIPE GENERIS SVI, dedit uobis; qui se PROGENIEM HERCVLIS, non adulationibus fabulosis, sed aequatis uirtutibus, comprobauit.* Vesianiam illam affectati admissique cultus diuini in Domitiano aeque ac Maximiano notant testanturque etiam alii scriptores, u. g. Aurel. Victor, *in Caesaribus, cap. XXXVIII*, ubi diferte de Diocletiano haec scribit: *Se primus omnium, post Caligulam, Domitianumque, Dominum palam dici passus, et ADORARI SE APPELLARIQUE UTI DEVM.* Adde Eutropium, *lib. VIII, cap. 16*; et Eusebium, in *Chronico, pag. 18*; itemque uaria numismata, et alia monumenta. *Conf. Spanhem. Dissert. XII, pag. 495.*

Ita haud difficulter explicari possunt duo ueteres nummi, quibus hoc schediasma ornauimus. In titulo, proditur nummus cum capite laureato MAXIMIANI AVGVSTI. Cuius Imperatoris integrum nomen aliis nummis et lapidibus inscriptum sic legitur: IMP. C. AVR. MAXIMIANVS. P. F. AVG. i. e. *Imperator Caesar Auelius Maximianus Pius Felix Augustus.* In postica nummi parte conspicitur Hercules, duabus clauis instructus, dextra claua Hydram petens; nisi suspicieris, alteram clauam ex lacinia pellis leoninae forte effictam esse. Superne haec uerba sculpra sunt: HERCVLI DEBELLATORI. Incertus sum, utrum Maximianus res suas fortiter gestas Herculi, deo commentitio, sic acceptas referre uoluerit; an ipse, tanquam Hercules, debellator hostium suorum, uoluerit repraesentari? *Hydra* illa fuit serpens multorum capitum, quam in Lerna palude constitisse, et ab Hercule tandem uictam esse, narrant poetae. Dicitur Virgilio, *lib. VI den. u. 576: Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra.*

B

Scili-

Duo nummi explicantur.

Scilicet alii *Hydrum* tria tradunt habuisse capita; alii, septem; alii, nouem; alii quinquaginta; alii, centum. Tanta est discrepantia fabularum! Fabulam uero pleniorern Lernaeae serpentis habemus apud Palaephatum, *fab. xxxviii*; et Ouidium, *lib. viii Metam. u. 68*. Spanhemius, *dissert. v*, ubi huius nummi meminit, existimat, Maximianum intendisse hoc nummo per *Hydrum* potissimum designare resuscitentem post tot funera christianorum gentem; cum hic Imperator, Herculus cognominatus, cum Diocletiano Iouio, collega suo, uana iactantia testari uoluerint, nihilominus gentem christianorum tandem a se prostratam ac triumphatam esse. Et sane haec ipsa laus ab utroque hoc Augusto impie etiam in uetere lapide quaesita est, quem paullo ante, (n. III) e Grutero descripsi. Idemque obseruat Spanhemius, istis hominibus furientibus uisam esse Symbolum *Hydrae* in hoc nummo expressae haud male scilicet quadrare in christianos, et sociam utriusque Augusti in ea secta debellanda operam. Etiam Begerus, cum eundem nummum, in *Thesauro Palatino*, pag. 361, explicat: *Licet hic nummus, inquit, ad prostratos Maximiani hostes procul dubio sit referendus; fortassis tamen ad persecutionem etiam christianorum retulerit homo ethnicus. Christiani, ut palma nobilis, ipsa in calamitate surrexere, et ex cladibus suis numerosiores prodire: id inimici comparauerunt Hydrae, quae et ipsa post clades numerosiore capitum luxuria increuisse memoratur.* Quae dum seribo, mihi in mentem uenit, an non ueteres mythologi fingendae fabulae de Hydra occasionem ceperint a polypis marinis, de quibus quaecunque pars refecetur, hodie non nulli Bataui et Britanni narrant, ex ea nouum polypum mox existere. Alter uero nummus, cuius figuram principio huius dissertationis praefigendam curauit, in aduersa parte repraesentat protomen Diocletiani laureati, cum hac

hac epigraphe : IMP C C VAL DIOCLETIANVS P F AVG
 i. e. Imperator Caesar Caius Diocletianus Pius Felix Augustus.
 In auersa parte Iupiter fulgerator hominem biforem,
 sive gigantem, qui pedum crurumque loco habet serpentes,
 fulmine prostraturus uidetur. Fabulam breuiter tradit Oui-
 dius, lib. v *Fast.* u. 35, seqq.

Terra feros partus, immania monstra, Gigantes

Edidit, ausuros in Iouis ire domum.

Mille manus illis dedit, et pro cruribus ANGVES,

Atque ait: in magnos arma mouete deos!

Exstruere hi montes ad sidera summa parabant,

Et magnum bello sollicitare Iouem.

EVLMINA de coeli iaculatus Iuppiter arce

Vertit in auctores pondera uasta suos.

Sine dubio per istum Gigantem, sive sigillatim per Typho-
 nem, primum Gigantum, qui, narrante Hygino, *fab.*
 CCLII, Iouem prouocauit, si uellet secum de regno certare, sed
 cuius pectus Iupiter fulmine ardenti percussit; designatur qui-
 dam insignis hostis, qui Diocletiano, eiusque imperio, in-
 fidiatus est: uerum, quia nummus singulari temporis indi-
 cio destituitur, quis ille hostis fuerit, definire non possum.
Forfitan, inquit Begerus, de Achilleo deuicto hunc typum in-
 telligas, qui in Aegypto maiestatem sibi uindicaturus Diocle-
 tiani armis succubuit; quanquam et alia eius sint gesta.

VI.

Sub his duobus Imperatoribus, Diocletiano et Maxi-
 miano, tanta aduersus christianos exarsit persecutio, ut ipsenon Ma-
 Henr. Dodvellus, in *Dissert. Cyprianica* XII, ubi egit de pau-
 citate martyrum, §. LXV, non potuerit non fateri, hanc, uti fecerit
 omnium longissimam, ita etiam saeuissimam, certe marty-
 persequutio-
 nis christi-
 rum ANTONINI P.

rum proventu copiosissimam, fuisse persecutionem: inde etiam factum, ut *Aeram Diocletiani* recentiores Graeci *Aerans martyrum* appellarint. Quam persecutionem potissimum Eusebius, *lib. VIII Histor. eccles.* et Lactantius, *de mortibus persecutorum*, descripserunt. Iam, si quis quaerat, an, et cur non, Mamertinus in duobus panegyricis suis etiam meminerit huiusmodi persecutionis christianorum, cum inde, pro suo instituto, laudem pietatis utriusque Imperatoris maiorem in modum augere potuisset? Sed respondeo, cum Mamertinus orationes suas intra priores quinque annos imperii Diocletiani et Maximiani habuerit, cum ne potuisset quidem hoc argumentum attingere; propterea quod, teste Eusebio, *lib. VIII, cap. I*, utriusque Imperatores primis temporibus non parum fauerunt christianis; ubi indicat, quantam gloriam ante persecutionem, anno demum CCCIII plenius excitatam, religio christiana fuerit consecuta. Vnde Theod. Ruinartus, in praefatione ad *Acta martyrum*: *Non imus insitias*, inquit, *primis Diocletiani et Maximiani temporibus Ecclesiam nullis edictis agitatam fuisse, nec tum christianos, maxime in his locis, qui sub speciali Diocletiani cura erant, inquisitos fuisse. Vnde, si tunc martyria aliquot fuere, aut veterum legum auctoritate, aut ex praesidium ingenio, uel alia quauis occasione, absque edictis patrata sunt. Persecutionis initium anno CCLXXXIII consignari posse uidetur, quo Diocletianus, decennalia imperii sui celebraturus, se ut deum adorari iussit.* Sed et alii scriptores profani non facile de ista Diocletiana christianorum persecutione aliquid referunt, ut nesciam, an fortasse ipsi argumentum hoc non satis dignum laude habuerint? At uidemus, quem exitum habuerit ista stolidi iactantium impietas, *se nomen christianum deleuisse*: cum saeuissimi isti homines in aeternis iaceant tenebris, omnique posteritate sua iam dudum ex orbe terrarum deleta extirpataque, nihil reli-

que-

querint, nisi uana quorundam adulantium monumenta, et execrabilem insanae aduersus christianos crudelitatis memoriam: contra uero Religio christiana multo latius longiusque dilata, DEI IMMORTALIS beneficio, feliciter succreuerit, et ad hunc usque diem floreat, ac, quoad haec rerum uniuersitas stabit, perpetuis temporibus sit duratura.

VII.

Quod si nunc quaeramus, quo anno et die hic ipse panegyricus genethliacus a Mamertino sit habitus; tunc generatim quidem liquet, eum fuisse panegyricum natalitium hoc est, in natali utriusque Imperatoris, Diocletiani Iouii et Maximiani Herculii, dictum, et utriusque etiam Imperatoris laudes complecti, quamuis solo Maximiano tunc praesente sit dictus. At in historia Principum Romanorum fere tria diei natalis genera occurrunt, quos solenni ritu sacros festosque habuerunt. Id quod iam in *commentario ad panegyricum Plinii*, pag. 474 et 570, copiosius exposui. Primus erat natalis Imperatorum proprie dictus, quo primum huius uitae lucem adspexerant. Et huius natalis diei solennia κατ' ἐξοχὴν γενεθλια uocari consueuisse, deprehendimus. Alter natalis Imperatorum translate dictus habebatur dicebaturque primus dies principatus, seu imperii augustalis. Sic Eumenius, in *paneg. Constantini Aug. Cap. II*, primum principatus suscepti diem diserte uocat natalem imperii. Quamuis ille, inquit, felicissimus dies proxima religione celebratus imperii tui natalis habeatur; quoniam te isto habitu primus ornauit. Tertius dies natalis erat dies adoptionis, item Caesareae dignitatis; si nempe Principes per adoptionem ad imperium peruenerant, aut titulo secundi fastigii primum Caesares denominati erant, cum nondum essent Augusti, sed tantum designati heredes summae potestatis,

Quo tempore et loco habitus sit hic panegyricus?

De triplici natali die Imperatorum.



flatis, et futuri successores Imperii. Sic in historia Hadriani
 Imperatoris, quam Spartianus exposuit, hi tres natales
 distincte annotantur: primo, *natalis uitae*; quia natus erat
 VIII Kal. Febr. *Vespasiano septies et Tito quinquies* COSS.
 Deinde *natalis adoptionis*, v *Iduum Augusti*. Tertio, *na-*
talis imperii, nempe III *Iduum earundem*. Similiter tres
 natales Maximiani notare possumus. Primus fuit *natalis ui-*
tae, de quo post. Alter *natalis dignitatis Caesareae*, siue
 Imperii Caesarei, cum XII Kal. Decembr. anno Christi
 CCLXXXIII, a Diocletiano assumtus est *Caesar*. Tertius *na-*
talis imperii augustalis, cum *Kalendis Aprilibus* A. CCLXXXVI,
 ab eodem declaratus est *Augustus*. Hic adeo panegyricus
 dictus est in celebritate diei natalis proprie dicti. Ita Ma-
 mertinus ipse, statim *Cap. I, 1*, hanc orationem uocat
geminis natalis praedicationem; et, ne putemus, eam perti-
 nuisse ad natalem imperii Caesarei, aut Augustalis; ipse
 rursus, *Cap. II, 2*, *dies natales, quibus imperii auspicia*
sumserint utrique Imperatores, ab argumento huius pane-
 gyrici quasi remouet, et ad quinquennalia ac decennalia se-
 ponit. Sed caue putes, Diocletianum et Maximianum,
 si non eodem anno, eodem tamen die, reuera natos esse:
 quanquam neutrius dies natalis proprie nobis constet, in
 quod tempus incidere. Interim persuasum mihi habeo,
 folius Maximiani, qui praesens hunc audiebat panegyricum,
 natalem uerum tunc incidisse. Nam disertè Mamertinus,
Cap. II, 1: *Hic mihi dies*, inquit, *uidetur illustrior, ma-*
gisque celebrandus, qui te primus protulit in lucem; quam
 scilicet ille, quo imperii auspicia sumisti. Quo autem die
 et mense natalis hic illuxerit, e nullo scriptore adhuc cog-
 nitum est; nisi suspicemur, Maximianum, uti originem
 suam retulit ad Herculem, ita et ipsum natalem uitae re-
 gulis ad natalem Herculis. Iam autem e celebri Calendario
 Lam.

Lambeciano patet, Herculis diem natalem celebrari consueuisse *Kalendis Februariis*. Ibi enim haec legimus: KAL-
 FEBR, N. HERCVLIS. C. M. XXIII. i. e. *Kalendis Februariis, Natalis Herculis, Circensibus, Missibus XXIII*. Equidem haec sola probabilis coniectura nostra est, cui tamen non facile antiquioris cuiusdam scriptoris auctoritas refragatur; neque uidemus, cur alias, inter tot proximorum Imperatorum natales, non etiam natales Diocletiani et Maximiani in isto Calendario sint adscripti; nisi natalis Diocletiani Iouii ad natalem Iouis, et natalis Maximiani Herculli ad natalem Herculis, referendus uideatur. *Annum* statuo tunc currisse, post Christum natum, *ducentessimum nonagesimum primum*: nam omnes res gestae Diocletiani et Maximiani, quae in hoc panegyrico commemorantur, saltem eo usque pertingunt, ac ne quidem complectuntur annum sequentem CCLXXXII, in quo *Galerius Maximianus, et Constantius Chlorus*, ab utroque Augusto solenniter adoptati declaratique sunt *Caesares*: quorum non potuisset non mentio fieri in hoc panegyrico, si iam tum Caesares fuissent. Licet uero eo tempore, quo hic panegyricus habitus est, unius saltem Imperatoris, nempe Maximiani, incidisset natalis proprie dictus; is tamen in utriusque Imperatoris honorem celebrabatur, et ita festus habebatur, ut simul tanquam natalis etiam alterius Imperatoris, Diocletiani, coleretur, celebrareturque. Hinc dicitur a Mamertino, *Cap. I, 1, geminus natalis*; et *Cap. II, 2, gemini uestri natales*. Id autem factum est ad declarandam mutuam utriusque huius Imperatoris concordiam, quam uerbis satis exprimere nesciit orator. *Quae ulla unquam, inquit, Cap. VI, 3, uidere saecula talem in summa potestate concordiam? Qui germani fratresque indiuiso patrimonio tam aequabiliter utuntur, quam nos orbe Romano. n. 7: Ita displices nobis diuinae potentiae fructus pietas uestra largitur*.

et suo uterque fruitur, et consortis imperio. Cap. VII, 2: Dividere inter vos dii immortales sua beneficia non possunt. Quidquid alterutri praestatur, amborum est. n. 7. Intelligimus, sacratissimi Principes, geminum vobis, quamvis disparis sitis aetatibus, inesse consensum, -- inuicem uestros affectatis annos. Sic ambo estis iuniores, ambo seniores. Constat vero, eosdem hos Imperatores eadem ratione posthaec uicesimalia sua, hoc est, uicesimum annum imperii sui, simul eodemque tempore celebrasse, quamuis non die et anno eodem primum suscepissent imperii insignia. De anno autem, quo hunc panegyricum habitum esse dixi, consentit etiam Antonius Pagi, in *dissert. hypatica*, P. II, n. VIII. Panegyris illa Mamertini, inquit, dicta uidetur anno Christi 191 (291 exprimi debuit,) post utraque (nempe Caesarea et Augusta) ab eodem Herculio quinquennialia celebrata; cum dicat Orator, se orationem, quam composuerat, eius decennialibus referuare; in eaque nullam de Constantio Choro et Galerio Maximiano, qui anno 292 Caesares nuncupati sunt, mentionem faciat. Magna uero erat eiusmodi Natalium, Quinquennialium, et Decennialium, celebritas; cui diem dicatum, sacrificiis, uotis, ludis, et omni genere publicae laetitiae ac gratulationis, populus militesque transgebant laureati, et, quod Tertullianus, *de corona*, cap. 35, testatur, focos et choros educebant in publicum, uicatim epulabantur, laureis ornabant postes, lucernis diem infrangebant, et, quidquid poterant, honoribus Imperatorum impendebant, ac, si adessent oratores facundi, hi omnia bona dicebant, imperatorumque res gestas laudibus euehebant. Et si uero nullum evidens indicium ex hoc ipso panegyrico elucet, quo in loco sit recitatus; id tamen certum est, eum extra Urbem Romam fuisse habitum. Immo facile subscribo Sigonio, Brouero, et aliis, tradentibus, recitatum esse Treuiris, ubi tunc com-

commorari consueverat Maximianus. Treuironum ciuitas iam ab Augusto, anno ante Christum natum duodecimo, facta erat colonia Romanorum. In *Notitia utriusque Imperii* dicitur *Prouinciae Belgicae primae Metropolis, ciuitas Treuironum*. Saluiano, in *libro de prouidentia*, appellatur *Treuironum urbs excellentissima, summa urbs Gallorum*. Haec Vrbs, quasi aemula Romae, superbiebat Palatio, Capitolio, Amphitheatro, Circo Maximo, et aliis splendidis aedificiis. Instructa erat armorum et monetarum officinis; unde et ibi frequentius effossae sunt monetae, cum primis Diocletiani et Maximiani, quae modo literis TR. modo S. T. modo P. TR. insignitae sunt, i. e. *Treuiris, Signatae Treuiris, Percussae Treuiris*. Sic Treuiris erat illis temporibus quasi domicilium imperii Gallicani, et castrum ad cohibendas Germanorum inuasionem. Ibi, uti iam fere ante biennium Maximianus celebrauerat, XXI Aprilis, diem natalem Urbis Romae, et Mamertinus priorem dixerat panegyricum; ita nunc ibidem in gemino natali utriusque Imperatoris, fortasse Kalendis Februariis, anno Christi CCLXXXI, in Augusto cohortis palatinae, Treuirensumque magistratum, confesso, facunda oratione ueneratus est Maximianum Augustum, tunc praesentem.

VIII.

Nunc conuertimur ad ipsum Mamertini panegyricum, *Argumentum* breuem synopsis praemissuri. In EXORDIO, Cap. I et *tum, siue* II, *rationem affert Panegyristes, cur oratione celebret geminum natalem utriusque Imperatoris, Diocletiani et Maximiani; negyrici.* *huius panegyrici.* nempe quia omnes alii etiam conentur his debitum exsoluere; et ut compenset orationem, quam in *Quinquennialibus* habere non potuerit; et denique, quia illustriorem existimet diem natalem uitae, quam Imperii Imperatorum. In TRACTATIONE, Cap. III, generatim praemittit laudes utriusque Imperatoris, praedicatque, illos nunquam otio acquiescere: quia imitentur exempla deorum, auctorum generis sui, nempe Iouis et Herculis,

culis, seu per aliquod agentium, et agendum curantium; ac quoniam a primis annis ad infatigabilem consuetudinem laboris nati institutique sint. Deinde, Cap. III et V, per praeritionem, laudat uarias ipsorum expeditiones, res bello gestas, et uictorias relatas. Deinde, sigillatim sibi praedicandas sumit et PIETATEM et FELICITATEM utriusque Imperatoris. Ac quidem (A) Cap. VI, 1, 2, commendat utriusque PIETATEM erga deos; tum laudibus euebit mutuam PIETATEM, qua ipsi se inuicem coluerint hi Imperatores. Hanc probat, Cap. VI, 3, 4, 5, 6, 7, α) ex mirifica concordia in possidendo et regendo orbis Romani imperio. β) Cap. VII, 1, 2, 3, 4, ex communione et participatione laurarum, i. e. uictoriarum et triumphorum de hostibus relatorum. γ) Cap. VII, 5, 6, 7, ex mutua gloriae aemulatione, etiam in diuersa stirpe, et dissimili aetate. δ) Cap. VIII, seqq. e conuentu Mediolanensi: cum nulla itineris tempestatisque molestia detineri potuerint, quo minus peruolarint Mediolanum ad colloquium amicum, de republica in commune consultaturi. Huius adeo itineris describit 1) Cap. VIII, celeritatem, 2) Cap. VIII, 1, 2, 3, temporis hiberni et Alpium transeundarum asperitatem. 3) Cap. VIII, 4, 5, et Cap. X, 1, 2, 3, comparationem cum itinere Hannibalis per Alpes. 4) Cap. X, 4, 5, 6, euentum, et laetitiam publicam inde excitatam. 5) Cap. XI, uenerationem praesentium Imperatorum, itemque, Cap. XII, 1, 2, desiderium ciuium Romanorum coram uenerandi Imperatores. et 6) Cap. XII, 3, 4, 5, reditum Imperatorum ad exercitum. (B) Cap. XIII, praedicat Mamertinus FELICITATEM utriusque Imperatoris; a) Cap. XIII et XIII, quod libere et securi se inuicem conspiciere et complecti possint. b) Cap. XV, quod salus reipublicae, et salubritas temporum, fertilitasque terrarum, sit restituta. c) Cap. XVI, XVII, XVIII, quod barbarae nationes ipsae se conerant, et bella ciuilia ad has sint translata, omnesque hostes quiescant. In EPILOGO, Cap. XVIII, Orator primo rationem reddit, quod in hac oratione potissimum de pietate et felicitate utriusque Imperatoris disseruit; deinde maritimam uictoriam utrique auguratur. His adeo praemissis, iam ipsum contextum huius panegyrici genetliaci recenset, et, ubi dabitur occasio, obseruationibus quibusdam illustrare conabor, uisidem subsidiis, quae sub initium obseruationum ad priorem Mamertini orationem recensui, usus.

CL.

CL. MAMERTINI
 PANEGRICVS · GENETHLIACVS
 MAXIMIANO AVGVSTO
 DICTVS.

CAP. I. Omnes quidem homines, sa-
 cratis-

I. *Genethliacus*. Rationem huius inscriptionis supra, §. II, reddidi. Dicitur *Panegyricus Genethliacus*, i. e. natalitius: quia tales orationes habebantur in memoriam et honorem natalis alicuius. Cuiusmodi orationum artificium exponit Dionysius Halicarnassensis, ubi tradit Μεθοδον Γενεθλιακῶν, siue praecepta de oratione natalitia. Neque solum oratores panegyricis genethliacis, sed etiam poetae carminibus genethliacis, cum primis Principum natales celebrabant. Immo et privati privati scribebant *genethliaca*. Sic Aristides edidit orationem *genethliacam in Apellam*. Sic Virgilius, *Ecloga IIII*, Asinii Pollionis filio *Genethliacum* dicauit. Etiam in Papinii Statii *lib. II Siluarum, Carm. VII*, legimus GENETHLIACON LVCANI; ut nunc alia taceam. Γενεθλια et Γενεθλια dicebantur *festa natalitia*; et ipse dies natalis dictus est γενεθλιος ημερα. Γενεθλιακος generatim est pertinens ad γενεθλιον, i. e. natiuitatem, seu diem natalem. Quia uero etiam praediotiones fieri consueuerant ex natali die, cum primis recens natorum, et ex sideribus natalitiis; hinc *Genethliaci* etiam audierunt ii, qui prodigiosis artibus futura dicturos se pollicentur; de quibus agit Gellius, *lib. XIII, cap. 1*. Et Isidorus, *lib. VIII origin. cap. 9*, scribit: *Genethliaci appellati propter natalium considerationem dierum. Genesis enim hominum per duodecim coeli signa describunt, siderumque cursu*



cratissime 2 Imperator, qui maiestati
 3 uestrae laudes canunt, et gratias agunt,
 debitum uobis conantur exfoluere; (quis
 enim

nascentium mores, actus, et euentus, praedicere conantur. Quae uero notio huc non pertinet.

2. *Sacratissime Imperator.* Variat haec compellatio in scriptis excusisque libris. Puteolanus, B. Rhenanus, Nauius, H. Stephanus, Riuius, habent: *sacer Imperator.* Ceteri edidere: *sacratissime Imperator;* prout etiam in meo Codice legitur. Alter liber Gudianus ex alio quodam Codice MS. annotatum prodit, *sacratissimi Imperatores.* Quae compellatio magis conuenire uideatur cum proximis uerbis: *Omnes quidem homines, sacratissimi Imperatores, qui maiestati VESTRAE laudes canunt,* etc. Sed nihil est mutandum; cum familiaris sit Mamertino ista loquendi ratio, ut Maximianum quidem Herculeum, Augustum, qui tunc praesens erat, numero singulari alloquatur; at nihilominus tamen mox toties in numero multitudinis subiiciat uerba, itemque pronomina, *uos, et uester;* quoties uult, ut ea, quae de die natali, et uirtutibus, rebusque gestis Imperatorum, differit, non de solo Maximiano, sed etiam de Diocletiano, tunc absente, intelligantur. Eodem enim hoc Panegyrico, ut supra dixi, utriusque Imperatoris natalis celebratur, laudesque canuntur. Haud seculus Mamertinus priorem etiam panegyricum, Maximiano Aug. in die natali Urbis Romae dictum ita exorsus est: *Cum omnibus festis diebus, SACRATISSIME IMPERATOR, debeat honor VESTER diuinis rebus aequari,* etc. Lectio, *sacer Imperator,* e compendio scripturae orta esse uidetur.

3. *Maiestati uestrae.* Recte: neque enim necesse est, ut pro casu tertio ponatur secundus, *maiestatis,* quo hic casus

enim est, qui possit implere?) sentio tamen,
a me ⁴ praecipue hoc piaae; uocis officium
iure quodam sacrosancti fenoris postulari,

casus ad nomen, *laudes*, referatur. Refertur potius ad uer-
bum, *cantant*, et simul ad sequentem formulam, *gratias*
agunt. *Canere alicuius laudes*, est, dicere alicui laudes; uti
apud Ouidium, *lib. II artis am. u. 740*: *Mibi dicite laudes;*
Cantetur toto nomen in orbe meum. Alias *canere* quasi pro-
prium poetarum est; hic orator id poetice tribuit oratori-
bus, aliisque; quanquam et Plinius, *lib. xviii hist. nat. cap.*
viii, 10: *Cato brassicae miras canit laudes*. Ita idem Mamer-
tinus, in *priore paneg. Cap. I, 4*: *Tibi potissimum, Imperator in-*
uicte, laudes canimus. Quod uero librarius in meo codice
posuit, *laudem*, nempe singularem pro plurali; id eius leui-
tati imputandum.

4. *A me praecipue*. Alias in omnibus excusis libris le-
gebatur: *sentio tamen; a me hoc praecipue tempore hoc piaae*
uocis officium etc. Sed uoces, *hoc tempore*, in meo Codice
non leguntur; abesse etiam ab aliis Codicibus, annotatum
est in utroque libro Gudiano. Et bene abesse possunt; im-
mo, nisi fallor, abesse debent. Superuacaneae enim sunt;
quia tempus iam in eodem uerborum ambitu designatur his
uerbis: *haec gemini natalis praedicatione*. Deinde repetitio
pronomini, *hoc*, auribus accidit ingratiissima; cum mox se-
quatur: *hoc piaae uocis officium*.

5. *Hoc piaae uocis officium*. Haec lectio confirmatur
ceterorum librorum, scriptorum pariter atque impressorum,
consensu; nisi quod in solo Codice meo legam: *hoc pietatis*
officium, non male quidem; attamen nihil ideo est inno-
uandum. *Vox*, pro oratione et dicendi facultate ponitur,

ut expectationem sermonis eius, quem tuis
6 quin-

uti in Eumenii *panegyrico*, ad *Constantinum Caesarem*, cap. I: *Rudimenta quaedam uocis meae rursus experior.*

6. *Tuis quinquennialibus.* *Quinquennialia* hoc loco dicuntur solennia, quibus post quintum quemque annum celebrabatur natalis, siue auspicalis dies, Imperii Caesarei a Maximiano suscepti. Significanter enim dixit Mamertinus: *Tuis quinquennialibus*; iam autem tunc alloquebatur Maximianum praesentem. Qui dies, secundum nostram computandi rationem, tunc inciderat in XII *Kalend. Decembr. A. Christi CCLXXXVIII.* Scilicet, sicut natales uitae Imperatorum quotannis rite solebant celebrari; ita natales imperii, siue dies auspicales imperii, ordinarie saltem quinto quoque anno exacto, reolebantur. Nempe, si exacti essent quinque anni post susceptum imperium, siue augustale, siue caesareum, tunc *quinquennialia* agebantur sollemniter, cum in Vrbe, tum in prouinciis et castris, faciendis quidem sacrificiis, ludis Circensibus, et spectaculis scenicis, ac gladiatoriiis, item aliquando congiariis et donatiuis ex liberalitate Principum distribuendis; neque minus panegyricis habendis celebrabantur, ac cumprimis uota antehac nuncupata diis soluebantur, et in proximum alterum quinquennium, pluresue annos, noua uota nuncupabantur: in quibus uotis potissimum Imperatori incolumitas et longa uita, securitas imperio, domui augustae perennitas, exercitibus uirtus et uictoria aduersus hostes, paxque orbi terrarum, expetebatur, huiusmodi fere formula, ut e Tertulliano aliisque constat, adhibita: *Preces poscimus, Iupiter, uti sis uolens propitius in decennium Augusto nostro; quod si faxis, tunc tibi uotum boue aurato, ludis circensibus etc.* esse

6 quinquennialibus praeparaueram, hac
ge-

esse futurum. Exaeto altero quinquennio, si Imperator ui-
ueret, et in eodem statu seruaretur, celebrabantur *Quin-*
quennalia secunda, quae et *Decennalia*, aut *Decennalia prima*,
dicebantur; uti in quodam Diocletiani nummo: PRIMIS X.
MVLTI XX. Exaeto tertio quinquennio, illucescebant *Quin-*
quennalia tertia, siue *Quindecennalia*. Elapso quinquennio
quarto, prodibant *Quinquennalia quarta*, qui etiam dice-
bantur *Decennalia II*, item et *Vicennalia*; et sic porro
per eosdem temporum gradus natales imperii longaeuorum
Augustorum et Caesarum numerabantur. In horum solen-
nium natalitiorum memoriam etiam numismata cudi con-
sueuerant. Sic in nummo Licinii Iunioris, qui cum Crispo
et Constantino Caesar renuntiatus erat, intra lauream hae
conspiciuntur literae: VOT. V, adscriptis uerbis: CAESARVM
NOSTRORVM; ut significaretur, illorum Caesarum *Vota Quinquen-*
nalia tunc fuisse soluta. In nummo Maxentii Augusti: VOT. V.
MVLTI. X. h. e. uota *quinquennalia* soluta, et in futurum
tempus multiplicata et nuncupata *decennalia*. In alio num-
mo Licinii: SIC. X. SIC. XX. i. e. sicut *Decennalia* feliciter
peracta; sic *Vicennalia* peragantur. In nummo Gratiani Aug.
VOT. XV. MVLTI. XXX. In nummis Antonini Pii: VOTA SUS-
CEPTA DEC. III. i. e. Vota suscepta *Decennalia tertia*, siue in
decennium tertium, siue *Tricennalia*. In nummo Constan-
tini Aug. VOT. XXX. MVLTI. XXXX. i. e. Vota *Tricennalia*, mul-
tiplicatis *Quadragesimalibus*, etc. Originem horum *Quin-*
quennialium et *Decennialium* deducit Dio Cassius, *lib. LIII*,
pag. 506, ab Octauiani Augusti temporibus. Sed inueni-
mus, aliquando etiam in republica libera Vota in quinquen-
nium,

7 gemini natalis praedicatione compensem,
 et dicendi munus quod 8 tunc uoti promissionem
 suscepam, nunc religione debiti 9 re-
 praesentem.

num, item decennium, fuisse nuncupata. Vide Liuium, *lib. XXI*, 62; et *lib. XXII*, 10. Sed, sicut antiquitus talia uota pro incolunitate reipublicae nuncupabantur; ita sub Imperatoribus eiusmodi uota potissimum pro incolunitate Imperatorum concipi consueuerunt. Ceterum hoc argumentum prae ceteris luculenter illustrarunt, Henr. Norisius, in *dissert. chronologica de uotis decennialibus*, et Anton. Pagi, in *dissert. hypathica*, P. II., cap. 2.

7. *Hac gemini natalis praedicatione.* i. e. hoc panegyrico genethliaco, qui gemino natali Diocletiani et Maximiani dicitur. Etsi uero reuera alio tempore Diocletianus, alio Maximianus, natus esset, et proprie tunc non nisi Maximiani natalis illuxisset; ex uno tamen natali quasi geminum faciebant; cum tanta inter se concordia uiuerent hi Imperatores, ut, quod Mamertinus infra, *cap. VI*, 7, ait, *uterque et suo et consortis imperio, (natalique) frui uideretur.*

8. *Tunc.* Particula haec non legitur in meo Codice MS. nec obseruata est in iis Codicibus, quos contulerat Gudius. Immo nec facile haec desiderabitur hoc loco a lectoribus, si fuerit reiecta.

9. *Repraesentem.* i. e. praesentem et exsoluam. *Repraesentare* generatim notat, aliquid statim et sine mora praesens exhibere, et exsequi. Deinde locum habet in iure, et potissimum de pecunia statim et uel ante diem persoluenda dicitur; prout Gronouius, *de pecunia uet. lib. I*, cap. 6, docet, sic Ciceronem, Senecam, Suetonium, aliosque, loqui.

praesentem. ¹⁰ Voueram autem, sacratissi- 2.
me Imperator, longe infra spem honoris
eius, quem in me ¹¹ contulistis; (unde enim

loqui. Cicero, *ad Atticum*, XII, 25: *Reliquae pecuniae uel usuram Silio pendemus, dum a Faberio, uel ab aliquo, qui Faberio debet, repraesentabimus.* Suetonius, *cap. 44*: *Inquilinos iussit pensionem annuam repraesentare fisco.* Inde transfertur hoc uerbum etiam ad alia quaeque, quae mature exequi, et praestare, atque ad effectum adducere, dicimus, tanquam bonae fidei debitores. Cicero, *ad famili. xvi*, 4: *Dies promissorum adest; quae etiam repraesentabo, si aduenerit.* Vbi uidetur loqui de promissa manumissione. Malo autem in hoc loco cum Gronouio legere, *quae, quam quem*, quod uulgo editum est. Hirtius *de B. Alex. cap. LXX*: *Caesar respondit, se fore aequissimum Pharnacæ, si, quae pollicetur, repraesentaturus esset.* Suetonius, *in Claudio*, *cap. 37*: *Repraesentatur somnii fides.* Confer notam nostram ad *Paneg. Plinii*, *cap. xxv*, 2: *An mediocri animi est, his potius repraesentare, quibus magis negari potest?*

10. Voueram. i. e. optaueram. Ita uero recte in Codicibus scriptis, librisque recentius excusis, nunc legitur: cum et hoc loco, et paullo inferius, ubi idem uerbum, *uoueram*, repetitur; in editionibus Puteolani, Rhenani, Nauii, H. et P. Stephanorum, item et Liuineii, fere sine sensu, excusam esset, *Noueram*. Cuspinianus primus optime euulgauit, *Voueram*; quem deinde Gruterus, et alii, secuti sunt. Gruterus autem non solum e coniectura Puteani, sed maxime etiam ex auctoritate duorum Codicum MSS. uerorem reuocauit lectionem; cum illud antea uulgatum, *Noueram*,

uel tantam¹² fiduciam mei gererem, uel tam
im-

ram, minime huc quadrare animaduerneret. Sed Liuius quoque, etsi in contextu retinuerit uulgatam scripturam, in notis tamen ad hunc locum: *Belle*, inquit, *Voueram*, i. e. *optaueram*. Sequitur enim mox: Gaudeo igitur, dilatam esse illam cupiditatem meam. Ouidius, *Metamorph.* xi de *Mida*: *Attonitus nouitate mali, diuesque, miserque, Effugere optat opes, et, quae modo uouerat, odit.* Apud Senecam quoque de *beneficiis*, lib. vi, cap. xxxvi, ubi uulgatur: Quis pius dicet Aeneam, si patriam capi uoluerit, ut captiuitate patrem eripiat? *Reponam*, uoluerit, pro uoluerit; ut supra dixerat, cap. xxv: *et quidquid inimicus optaret, amantes uouent.* Probamus cetera; sed in emendando uerbo, *uoluerit*, apud Senecam, nos minus sibi consentientes habet Liuius. Nonne enim et ita loquitur Cicero, pro *Cluentio*, cap. lxxvi: *Nihil est mali, nihil sceleris, quod illa non ab initio uoluerit, optauerit, cogitauerit, effecerit.* Sic uero et Conradus noster Rittershusius, in hoc Mamertini loco, pro *Noueram*, restituendum statuit, *Voueram*; quia praecesserit: *quod tunc uoti promissione susceperam.* Saepe ita peccarunt librarii, ut confuderint literas, *n* et *u*. Vide *commentarium* nostrum ad *Panegyricum Plinii*, pag. 63, 77, 588. Sic *uota* et *nota* commixta inuenimus apud Ouidium, *Metam.* xii, 634, in notis Burmanni; apud Silium Italicum, vi, 434, in notis doctissimi Drakenborchi; apud Florum, lib. iii, cap. vi, 2, in notis Freinsheimii, ut taceam multo plura huiusmodi corruptelae exempla. Tritum autem est, *uouere*, etiam poni pro *optare*, *uotis precari*: quanquam Scaliger, de *subtilitate*, exercit. cccx, discrimen statuit inter *notam* et *optationem*. *Optatio*, inquit,

improbe concupiscerem, ut¹³ optare mihi,
 quan-

quit, affectus est, haecenus praeteritus a philosophis. Est enim aliud a uoto, quod ad aras, aut in periculis, contentiore uoce fundebant populi preces diis suis; παρὰ τὸ βούυ. *Votum igitur est prouocatio deorum ad beneficia: Optatio idem uidetur, quod uotum, sed sine stipulatione simplex; cum opem a Deo petimus; haec enim in ipso uerbo sunt.* Si itaque, uouere, proprie est optare aliquid a Deo, sub promissione sacri muneris; uidemus, cur Panegyristes hic dicere maluerit, uouerat, quam optauerat: quia nempe cum Augustis, tanquam cum diis, loquebatur. Coniunxit tamen nihil minus ista uerba Cicero, lib. I de nat. deor. cap. 44: *Quid optamus a diis immortalibus? Quid uouemus?*

11. *Contulisti.* Liuineus in margine editionis suae annotauit, forte legendum esse, *contulisti*; quia, ut opinor, respexit proximam allocutionem: *sacratissime Imperator.* Quam Liuineii coniecturam etiam laudat Iac. de la Baune. Sed solenne hoc est Mamertino, ut crebrius solum quidem Mamertinum, qui tunc praesens aderat, alloquatur, uerba tamen sequentia in numero multitudinis efferat; non, ut, qui mos hodie quorundam est, maioris honoris causa uerbis in numero multitudinis utatur; sed ut testetur, se in honorem utriusque Imperatoris, Diocletiani et Maximiani, ista dicere: cum, quod iam supra memorauimus, hi Principes concordissimi amicissimique, uti maiestatem et potestatem, ita et rerum gestarum laudem, inter se communem habere uellent. Itaque et Mamertinus honorem, quem consecutus erat, non solum Maximiano, sed et Diocletiano, imputandum duxit: inde non ait, *iudicio tuo*; sed, *iudicio uestro sum consecutus.* Mirum ergo est, cur Laur. Patarol, sine
 D 2 suffra-

quantum iudicio uestro sum consecutus, au-
derem? Voueram, inquam, potissimum, ut
me dignatione, qua pridem audieras, rur-
sus

suffragio ullius Codicis MS. aut alius ἐκδοσεος, in sua editio-
ne, pro *contulistis*, reposuerit, *contulisti*.

12. *Fiduciam mei gererem*. i. e. unde tantopere confi-
derem ingenio meo doctrinaeque. *Leg. 2 § 47, π, de orig.*
iuris, ex uerbis Hadriani, Principis: *Si quis fiduciam suam*
haberet, delectari se populo, ad respondendum se praepararet.
Ibi antea dixerat Pomponius: *Qui fiduciam studiorum suorum*
habebant, consulentibus respondebant. Sicut alii scriptores
Latini dicunt, *fidem fluxam gerere; ingenium callidum gere-*
re; amicitiam, inimicitiam, aut odium, gerere, gerere pu-
dorem: ita Mamertinus dicere potuit, *fiduciam gerere*. Et
bene hoc loco ait Mamertinus: *fiduciam mei*: ut Valer.
Flaccus, *lib. III, u. 124: cui det fiducia nostri, Nate, a-*
nimos. Et Plinius, *lib. III, epist. 4: Ex fiducia sui, an ex*
contemptu Principis, dixerit, dubium est; quanquam idem
Plinius, *lib. III, epist. 13: Ut hinc nihil aliud certum,*
quam fiduciam suam, ferat.

13. *Optare*. Codicem meum, et antiquiores editio-
nes, hic mendum occupauerat; cum *optarem*, pro *optare*,
exhibeant; quasi τὸ *optarem* referatur ad particulam proxi-
mam, ut, cum haec demum uera horum uerborum sit stru-
ctura; *ut auderem optare mihi* scil. tantum, *quantum iudicio*
uestro sum consecutus. Hanc saniozem lectionem iam edide-
re, Rhenanus, H. Stephanus, Nauius, Baunius, Cellarius,
et Patarol.

14. *Pridem audieras*. nempe, si nos calculum recte
posuimus, iam XXI Aprilis, anno Christi CCLXXXVIII, Maxi-
mia.

fus audires: siquidem apud tanti praesentiam
 numinis hoc ipsum mihi, maximum dicen-
 di praemium uidebatur, ut dicerem. Gaudeo 3.
 igitur,

mianus audierat Mamertini panegyricum, in die natali Urbis
 Romae dictum; et alium panegyricum idem Mamertinus prae-
 parauerat Quinquennialibus Maximiani, quae XII Kal De-
 cembris eiusdem anni celebranda erant; sed hunc, propter
 Imperatoris absentiam, non dixit. *Pridem*, significat, paruo tem-
 pore prius; quasi *prius die*. Obseruauit tamen Doletus, T. II
comment. L. L. pridem etiam de longiore tempore usurpari,
 ut decem, aut uiginti dierum, aut mensis, mensumue, ac
 non nunquam annorum, pro conditione materiae. Cicero;
in Bruto, cap. X: Fuit Themistocles, regnante iam Graecia,
nostra autem ciuitate non ita pridem (i. e. paucos ante annos,
 secundum Gellium, lib. XVII, c. 21) *dominatu regio liberata.*

15. *Maximum dicendi praemium.* Variant hic quidam libri.
 Pro gerundio, *dicendi*, participium, *dicenti*, ex suo Codice
 uetere, et Bertiniensi, annotauit Liuineius, sed eo consilio,
 ut ostenderet, hanc uarietatem sibi non placere. Adhaec
 Gudius, in altero libro, monuit, in alio Codice MS. omissum
 esse nomen, *praemium*. Immo et in meo Codice ita haec
 uerba leguntur: *hoc ipsum mihi maximum dicenti uidebatur,*
ut dicerem. Posset qualiscunque sententia hinc erui: melior
 tamen est uulgata lectio, quam et nos sequimur. Neque pro-
 bamus, quod Liuineius in notis suis tradidit, Latinius et usi-
 tatus futurum fuisse, si Mamertinus scripsisset: *quod dicerem;*
 quam, *ut dicerem.* Vtique enim hae ipse uoces: *hoc ipsum*
praemium, respiciunt uelut finem dicentis Mamertini, qui
 erat, ut iterum iterumque diceret, et ab Imperatore audire-

igitur, si fas est confiteri, dilatam esse illam cupiditatem meam. Neque enim orationis eius, quam composueram, ¹⁶ facio iacturam; sed eam referuo, ut, quinquennio ¹⁷ rursus exacto, decennialibus tuis dicam: quoniam

tur. Grammatici uero docent, quando de *caussa finali* sermo est, postulari, *ut*. Id ergo dixisse uidetur Mamertinus: hoc ipsum mihi maximum dicendi praemium aestimabatur et intendebatur, *ut* iterum iterumque liceret mihi coram Maximiano Imperatore dicere. Sic fere loquitur et ipse Cicero, in *Vatinius*, cap. V: *Habeat hoc praemium tua indignitas, ut adolescentiae turpitudine obscuritate et sordibus tuis obtegatur.*

16. *Facio*. Hoc praesens tempus, quod etiam sequenti uerbo praesentis temporis, *referuo*, apte quadrat, exprimit meus Codex, item et uterque liber Gudianus, et Liuius in margine, ex aliis Codicibus MSS. Quam scripturam etiam in editis secuti sunt, Gruterus, Puteanus, Baunius, Cellarius, et Patarol; ceteri omnes habent futurum tempus, *faciam*.

17. *Quinquennio rursus exacto*. i. e. completo et praeterito. Vides ergo, haec saltem Quinquennalia, non peractis quatuor annis, primo die quinti anni, sed expletis quinque annis, celebrata esse. Sic *exactus* pro completo et ad finem adducto, saepius dicitur. u. g. apud Suetonium, in *Caligula*, Cap. VIII: *Germanicum exacto consulatu in Galliam missum consentiunt. De Quinquennialibus et Decennialibus*, uide, quae dixi ad pag. 22, n. 6.

niam quidem ¹⁸ lustris omnibus praedicandis
communis oratio est.

CAP. II. Et profecto, si non sensus
meos dicatorum uobis dierum proxi-
ma quaeque ueneratio ¹⁹ sui maiestate
²⁰ per-

18. *Lustris omnibus. i. e.* Quinquennialibus omnibus,
siue diebus festis, quibus, exacto quoque quinquennio, cele-
brabatur dies auspex imperii Imperatorum et Caesarum. Sic
Festus, ubi *lustris* significationes explicat: *LVSTRVM*, inquit,
etiam significat tempus quinquennale. Et Varro, *lib. V de*
ling. lat. *LVSTRVM* nominatum tempus quinquennale a luen-
do, hoc est, soluendo, quod quinto quoque anno uectigalia et
ultra tributa per censores soluebantur. Ad eandem significa-
tionem declarandam conspirant haec nomina a Mamertino
usurpata: *Quinquennialia*, *quinquennium rursus exactum*, *De-*
cennialia, i. e. *Quinquennialia II*, et *Lustrum*. Non quidem
nego, aliquando *Lustrum* etiam de quatuor annorum inter-
uallo dici, ut quinto quoque anno incunte *lustrum peractum*
intelligatur, maxime si compareretur cum Olympiade Graeco-
rum; tamen nihil dubito, quin et hoc loco, et alibi saepius
ab auctoribus Latinis de quinque annorum interuallo peracto
dicatur. Sic hoc significatu utitur Martialis, *lib. X, epigr. 38*:

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Suspicia tua iugales
Indulset DEVS, et peregit annos!
-- -- Vixisti tribus, o Calene, lustris;
Aetas haec tibi tota computatur,
Et solos numeras dies mariti.

Inde

20 perfringit, hic mihi dies uidetur illustrior,
magisque celebrandus, qui te primus pro-
tulit

Inde intelligimus, a Martiale *quindecim annos* coniugii Ca-
leni uocari *tria lustra*; quod fieri non posset, si per singula
lustra non denotarentur quinquennia exacta, siue completa.
Sic Horatius, cum significare uellet, se iam esse quinquagenarium, *lib. III, od. I, 6*, scribit: *Desine dulcium Ma-
rer sacua Cupidinum, Circa LVSTRA DECEM flectere mollibus
tam durum imperiis.* Sic *bilustre tempus*, a Sidonio Apol-
linare, *lib. III, epist. 24, et lib. VIII, epist. 16*, sumitur
pro tempore *decennali*; ubi obseruauit Io. Sauaro, *lustrum*
a Sidonio semper pro quinquennio peracto poni solere.
Confer. Gerhardum Io. Voffium, in Etymologico, sub uo-
ce, *lustrum*. Sicut ergo Mamertinus hoc loco; ita et Si-
donius, *Carm. XIII, ad Maiorianum Imperatorem, Lustrum*
cum *Quinquennialibus* componit:

Sic te -- Multos purpura uestiat per annos!

Sic, LVSTRO IMPERII perennis acto,

QUINQUENNIALIA fascibus dicentur.

19. *Sui maiestate.* Ordinarie dicendum erat, *sua
maiestate*; uti Cicero, *lib. I de diuin. cap. 38: Neque dii
hoc alienum ducunt maiestate sua*; ubi non dicit, *maiestate
sui*. At enim uero scriptores sequioris aevi saepius pronomi-
na primitiua, per Enallagen, cum nominibus, quae non
affectum, sed facultatem, aut simile aliquid, significant,
coniungunt, u. g. *mei causa, tui causa*, pro, *mea causa,
tua causa*, etc. At sic iam Plinius, *paneg. LXXVI, 1:
Triduum rotum senatus sub exemplo tui sedit.* Traianus,
apud Plinium, *lib. X, epist. 29: Mei loco mitteris.* Et
nescio,

tulit in lucem. Etenim illi ipsi dies, quibus imperii auspicia sumfistis, ob hoc sancti sunt
 et

nescio, an non etiam huc referam illud ipsius Ciceronis in *Philipp. cap. 1: Frequentia uestrum (uestra) incredibilis, Quirites, concioque tanta, quantam meminisse uideor, etc.*

20. *Perstringit.* Hoc uerbum in omnibus, quae mihi innotuerunt, horum panegyricorum editionibus, plurimisque Codicibus MSS. deprehenditur. Liuius in margine notauit, in Bertiniensi Codice legi, *perstringit*; at forte scribendum esse, *praestringit*. Gruterus uidetur legendum, *praestringit*, siue potius, *praestringit*; cui ex parte adscriptur Codex meus, in quo scriptum, *perstringit*: quam facile autem praepositiones, *per* et *prae*, in codicibus antiquis commutantur? Verbum quidem, *praestringere*, siue *praestringere*, compositum est ex *prae* et *stringere*, siue *stringere*. Priscianus, *lib. x, pag. 882*, ubi agit de uerbo, *extinguo*: Cuius simplex, inquit, *stringo*, in raro est usu: Cicero tamen in *Arato*, *stringens*, participio usus est, quod a uerbo, *stringo*, nascitur: *Quem neque tempestas perimet, neque longa uetustas, Interimet stringens praecleara insignia coeli.* Simplici uerbo utitur etiam Lucretius, *lib. III, u. 1092*: *Ardorem in membris stringere possit.* Secundum uetera Glossaria, *stringo*, siue *stringo*, ualet, *deleo*, *pungo*, *perimo*. At uerba hinc composita sunt usitatiores, u. g. *distinguo*, i. e. *dispungo*, *discerno*. *Exstringo*, siue *Extinguo*, i. e. *opprimo*, *deleo*, *perimo*, *ignem*, *flammas*. *Praestringo*, itidem notat, *extinguo*, *perimo*, *obtenebro*. Vocant uulgo huc illud Lucretii, *lib. III, u. 1057*, ubi de Epicuro loquitur: *Qui genus humanum ingenio superauit, et omnes*

E

Prac-

et religiosi, quod tales declarauerunt Imperato-

Praestinxit stellas, exortus ubi aethereus sol. i. e. quasi extinxit, siue restinxit, Epicurus omnes ingenio suo, ut sol aduentu suo stellas restinguit, cum lumen illis adimit. Sic Lambinus ibi legit; qui, cum ad Lucretium et Horatium, tum ad Ciceronem, *pro Rabirio*, cap. xvi, pertinacissime contendit, non solum apud Lucretium, sed et in plurimis scriptorum ueterum locis, ubi hodie legimus, *perstringere*, siue *praestringere*, reponendum esse, *praestinguere*. Lambino etiam assentitur Acidalius, in *lectionibus Velleianis*, ad lib. II, cap. CXVIII. At Lambinum dudum refutauit Obertus Gitanus, in *Indice Lucretiano*, ubi testatur, eos, qui uerbum *praestringere*, ubique in *praestinguere* murent, non recte facere; cum omnes omnium scriptorum libri ueteres repugnent, et ipsi Grammatici. Refutauit et Taubmannus, ad Plautum, in *Milite glorioso*, I, I, 2, 3, ubi fide Codicum MSS. ita legit: *Curate, ut splendor meo sit clypeo clarior, quam solis radii esse olim, cum sudum est, solent: ut -- oculorum praestringat aciem in acie hostibus*. Praeterea refutauit Lambinum Cl. Drakenborgius, ad Silium Italicum, lib. I, u. 358, ubi poeta cecinit: *Qualis sanguineo praestringit lumina crine; Ad terram coelo decurrens, ignea lampas*; ubi hanc causam ita transigit: *Si, quod Lambino damus, praestinguere oculos, interdum dixerint optimi auctores, minime tamen hinc effici potest, locutionem illam, eiecio τῶν praestringere, et perstringere, oculos, ubique recipiendam esse*. Iam, quod ad uerba, *praestringere, et perstringere*, attinet, fatemur quidem, ista frequentissime inter se permisceri: quod inde usu uenit, quoniam uete-

ratores : 22 at certe uirtutes, quibus ipsa
orna-

res librarii praepositiones, *per*, *prae*, *pro*, siue solae stent, siue cum uerbis componantur, in Codicibus MSS. ut plurimum unica saltem litera, *p*, exprimunt, addito quidem tenui signo, quo a se distinguantur; ad quod uero signum imperiti et negligentes librarii non semper attenderunt; unde crebra istarum praepositionum confusio extitit: cuiusmodi confusio non pauca exempla ad Panegyricum Plinii, pag. 263, 463, 471, et 473, annotaui. Interim, siue uerbum, *praestringere*, siue *perstringere*, assumas, ubi de oculis praestricis, uel perstricis, sermo est, uerbum utrumuis *per*, obnubilare, obtenebrare, uel occaecare, interpretari poteris. *Stringere* enim proprie est radere, percussare, percellere. Hinc deducitur *stricatura*. Iam autem, explicante Nonio Marcello, de proprietate sermonum, Cap. I, *Stricaturae dicuntur proprie scintillae, quae de ferro feruentem exeunt, quod aut stricte emittantur, id est, celeriter; aut oculos fulgore praestringant.* Fulgor adeo et splendor aciem oculorum perstringere, uel praestringere, dicitur, cum celeri ictu ferit, ut hebetet, aciemque retundat; atque oculos quasi obtenebret. Superfedeo congerere utriusque huius uerbi exempla, quorum affatim est: quamuis putem, paucissima inueniri scriptorum ueterum loca, in quibus ea uerba non in quibusdam exemplaribus commutentur. Sic, e. g. ubi in Ciceronis *Catone*, Cap. XII, haec legimus: *Impedit consilium uoluptas, rationi inimica est, ac mentis, ut dicam, praestringit oculos;* ibi Graeuus, in uariis lectionibus, ad hunc locum notauit, *praestringit oculos*, inueniri quidem in Palat. sec. et in editionibus ueteribus, ut et

ornatis imperium, 23 gemini uestri procrea-
uere

Langii, et Gruteri; in aliis, *perstringit oculos*; in multis MSS. *praestringit*. Quae cum ita sint, etsi ad sententiam panegyristae nihil intersit, quodcunque horum trium uerborum eligas, ac uel, *praestringit*, uel *perstringit*, uel *praestringit*, Mamertino substituas; et licet ego praepotem hoc loco legere, *praestringat*: nolo tamen uerbum, *perstringit*, ex hac tam diuturna possessione exturbare. Ita uero etiam loquitur Valerius Maximus, *lib. II, cap. X, ex. 6*: *Seruus publicus claritate uiri, C. Marii, obcaecatus, abiecto ferro, attonitus inde ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas* (h. e. elades Cimbris a C. Mario illata,) *oculos hominis perstrinxit*. Idem, *lib. VIII, cap. I, ex. 5*: *Cum acerrimus hostis, Sertorius, Romanorum exercituum oculos Lusitanis telis perstringeret*, i. e. percelleret et terretaret.

21. *Tales declarauerunt*. *Tales*, i. e. tantos, tamque eximios et diuinos. Hic enim frequens est huius uocis usus, ut singularem et illustrem laudem eamque maxime respiciat, de qua iam dici coepit. Cicero, *pro Quinctio, cap. 20*: *C. Aquillius, talis uir*. Salustius, *in Iugurth. cap. 10*: *Obseruate talem hunc uirum*. Corn. Nepos, *Alcib. cap. 6*: *Quod talem uirum e ciuitate expulissent*. Pro *declarauerunt*, in meo Codice, et primo Gudii libro, extat, *declarauerint*; qui modus potentialis hoc loco non parum nobis placet. Id adhuc noto, proxime, pro *ob hoc*, in Puteolani, Rhenani, Nauii; H. et P. Stephani, Liuiinei, Riuiini, Baunii, editis legi, *ob haec*; sed eadem utrobique manente sententia.

uere natales. Quos quidem, sacratissime Impe- 3.

22. *At certe.* Olim corrupte legebatur, *et certe.* In libro II Gudiano, *ac certe.* Acidalius primus animaduertit, legendum esse: *at certe.* Etiam Gruterus, in notis: *Annon potius fuerit: at certe?* Neque tamen hic recepit hanc emendationem in contextum. Recepit uero primus Baunius, deinde Cellarius, et Patarol: nostro iudicio rectissime. In his enim Mamertini uerbis natales ueri et proprie dicti, quibus isti Imperatores auspicati erant uitam, quasi opponuntur natalibus improprie dictis, quibus auspicia fumerant imperii. Dicit uero non potest, quam frequenter librarii in antiquis libris has particulas, *at, ac, et,* inter se confuderint; cuius corruptelae non pauca exempla annotaui ad panegyricum Plinii, p. 80, 131, 250, 344, 357.

23. *Gemini.* Hunc locum iniquaauerat non leuementum, dum in excusis libris Puteolani, Rhenani, Nauii, Stephanorum, Liuineii, et Riuii, sic euulgatus est: *uir- tutes, quibus ipsum ornatis imperium et ingenium, uestrum procreauerunt natales.* Cuspinianus pro, *et ingenium,* ediderat, *genuini;* quae lectio etiam in altero Gudii libro animaduertitur. Et sane haec lectio haudquaquam est spernenda; si inprimis existimemus, *natales* horum Imperatorum uocari *genuinos,* qui proprii et naturales sunt dies natales uitae, ut distinguantur a natalibus, quibus primum auspicati sunt imperium, qui saltem improprie et translate sic appellantur, quasi natales non genuini. De quo utroque genere natalium, quos celebrarunt ueteres Romanorum Imperatores, egi, pag. 13, n. VII. *Genuinus* autem dicitur natiuus, naturalis,

Imperator, quoties annis 24 uoluentibus reuer-

et peculiaris. Sic Gellius, *lib. II, cap. 2*: *In domestica re atque uita -- inter filium magistratum, et patrem priuatim, publicos honores cessare; naturales et genuinos exoriri.* Ita honores, qui patri a filio priuatim debentur, et quasi ipsa natura duce sunt congeniti, appellantur *honores naturales et genuini*; alii honores, qui filio propter publicam quandam dignitatem et auctoritatem publice a patre praestandi, sunt aduentitii, et quasi non naturales et non genuini. Prope ergo erat; immo proxime, ut non solum pro antiquorum librorum lectione, et *ingenium*, sed etiam pro recentiorum emendatione, *gemini*; ex Cuspiniano, et ex altero Gudii libro, adsciuerim, *genuini*; nisi et in meo Codice scriptum inuenissem, *gemini*; ac nisi etiam Liuius testificatus esset, in Bertinicensi Codice idem, *gemini*, explicite haberi: quamuis non negem, uocabulum, *genuini*, a librariis facillime in, *gemini*, conuerti potuisse, ac uersa uice. Primus autem euulgauit Gruterus illud, *gemini*; quem Puteanus, Baunius, Cellarius, et Patarol, sunt secuti. *Gemini* autem *natales* dicebantur, quia tunc uno eodemque die celebrabantur auspicia uitae utriusque Imperatoris, Diocleriani et Maximiani, etsi hi non uno die annoue nati essent. Et ex hac causa Mamertinus iam supra, pag. 23, *Cap. I*, dixit: *haec gemini natalis praedicatione.* Ceterum, dum orator dicit, a natalibus procreatas et quasi congenitas esse istorum Imperatorum uirtutes; is inseruit scenae. Scimus quidem, naturam dici semina quaedam et igniculos uirtutum animis hominum inferere; uerum nisi haec semina institutione, doctrina, exercitatione et consuetudine, magis magisque exci-

uertuntur, uestri pariter ac uestrorum numi.
numi.

ententur, alantur, et perficiantur; scimus etiam, eadem in tanta generis humani corruptione facile obrui atque opprimi solere. Hinc Cicero aliter, in *Orat. de lege agrar. contra Rullum ad populum*, cap. 35: *Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quae ab ipsa natura loci, et a uitae consuetudine, suppeditantur, quibus alimur, et uiuimus.*

24. *Annis uoluentibus.* i. e. euolutis. *Voluens* enim ἐνὶ ἀλλομενῶς passionis significatu ponitur. Ex poetis hanc loquendi formulam hausisse uidetur Mamertinus. Sic canit Virgilius, *lib. I Aen. u. 234*: *Certe hinc Romanos olim, uoluentibus annis, Hinc fore duces etc.* Valerius Flaccus, *lib. I Argon. u. 505*: *Summe sator, cui nostra dies, uoluentibus annis, Tot peragit reficitque uices.* Ouidius, v *Metam. u. 16*: *Iuppiter ex aequo uoluentem diuidit annum.* Sed et ita loquitur Eumenius, in *paneg. Constantio Caes. dicto, cap. III*: *O kalendae Martiae, sicuti olim annorum uoluentium, ita nunc aeternorum auspices Imperatorum!* Seruius ad Virgil *l. c.* ait: *Anni uoluuntur, non uoluunt; ut est: Atque in se sua per uestigia uoluitur annus.* Alii uolunt, praesens actiuum poni, quod deficiat lingua Latina participio praesenti passiuo. Hoc uerbum et participium pertinet ad ea, quae sub forma actiuorum reciprocam admittunt significationem: *uoluere*, i. e. se uoluere; *anni uoluentes*, i. e. anni se uoluentes. Cuiusmodi exempla multo plura collegit Vechnerus, *lib. I Hellenol. c. 12*; et Bangius, *Obserrat. philol. P. II, pag. 1320*. Sic etiam uertens annus dicitur pro anno, qui uertitur.

Et

4. num reuerentia colimus : siquidem uos diis esse genitos , et ²⁵ *nominibus* quidem uestris , sed multo magis uirtutibus , ²⁶ approbatis ;
qua-

Et Macrobius , *lib. I Saturn. cap. 14* , tradit , *annum uertentem* dici , cum sol ad id signum denuo se uertit.

^{25.} *Nominibus.* Omnes , qui hos panegyricos edidere , etiam ipse Cellarius , pro , *nominibus* , antehac prodidere , *numinibus* ; sed minus apte. Solus Patarol euulgauit , *nominibus* ; quanquam non indicauerit , e quo fonte hanc deduxerit lectionem. Eam uero e Codicibus MSS. in utroque libro Gudius annotauit opportune. Nihil uero aliud Mamertinus uoluit dicere , quam Diocletianum et Maximianum , non solum per nomina sua , alterum quidem per nomen *Iouii* , alterum per nomen *Herculii* ; sed multo magis per uirtutes suas et facta immortalia , originem diuinam probare ; illum quidem ex *Ioue* , hunc ex *Hercule*. Et sane idem hoc loco dicit Mamertinus , quod iam in priore panegyrico , *cap. II , 3* , dixerat Maximiano : *An diuinam generis tui originem recensabo , quam tu non modo factis immortalibus , sed etiam nominis successione , testaris.* Tenues quidem hae probandae originis diuinae origines , quae tamen tunc apud auditores Mamertini non nullam speciem prae se ferre potuerunt. De origine diuina a Diocletiano et Maximiano affectata , supra , *sect. III* , differui.

^{26.} *Approbatis.* i. e. probatis , testamini , declaratis. *Approbare* , est ostendere et persuadere aliis. Sueton. *in Augusto* , *cap. XVII* ; *Quo magis degenerasse eum a ciuili more , approbaret.* Florus , *lib. II , cap. 2* : *Negatus est uictor ; trium-*

quarum infatigabiles motus et impetus uis diuinitatis exercet, quae uos tantis ²⁷ discursibus toto, quem regitis, orbe deducit, ut nos, semper

28 *ANXIOS*

triumphus, quia causam belli non approbavit. Petronius, cap. 74: *Vt ex aequo ius firmum approbaret.*

27. *Discursibus.* i. e. itineribus et expeditionibus. Eodem modo loquitur Eumenius, in *paneg. Constantii, Caes.* cap. III, 2: *Cuius tutelae licet esset, omni hoste perdomito, certa securitas, nimios tamen in diuersa discursus uel reuifenda poscebat.* Nescio, an hi panegyristae forte in mente habuerint, quod Cicero, *Orat. pro Marcello, cap. II*, de Iulio Caesare dixit: *Nec uero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam, cursibus, sed uictoriis, illustratae sunt.*

28. *Anxios.* i. e. sollicitos. Sicuti enim Cicero, *lib. II ad Attic. epist. 24*, dixit: *Non ignoro, quam sit amor omnis sollicitus atque anxius;* ita etiam Mamertinus dicere potuit, *nos anxios uestri caritate.* Hoc enim dicere uoluit: Illa uis diuinitatis, quae uos tantis discursibus et itineribus toto orbe deducit, nos etiam, qui amore uestri semper solliciti atque anxii sumus, nuper impulit, ut libere quereremur, nempe de absentia uestra, et de tot periculis, quae in istis itineribus aditis. Etenim, ut Ouidius cecinit, *Epist. I Heroid. u. 11: Quando ego non timui grauiora pericula ueris? Res est solliciti plena timoris amor;* sic et Mamertinus iunior, in *gratiarum actione Iuliano dicta, cap. xxiii, 7*, dixit: *Anxia est fidelium diligentia: maximo amoris maximus amor iunctus est.* In quam sententiam etiam eleganter scripsit Plinius, *lib. III, epist. 17: Ipse ualeo, si ualere est, suspensum et anxium, expectantem in horas, timentemque pro capite amicissimo,*

F

28 *anxios* uestri caritate, nuper ad libertatem
piae

cissimo, quidquid accidere homini potest. Sumus enim suspensi et anxii de iis, quos ardentissime diligimus: hinc etiam Martertinus professus est, se semper anxios fuisse caritate, siue amore, Imperatorum. Et quidni dixerit, *anxios caritate*; uti Tacitus dixit, *lib. I Annal. cap. 14: anxius inuidia*; *lib. II hist. cap. 92: anxii odiis*; Valerius Maximus, *lib. VIII, cap. 3: Amara sollicitudine, ne non contingat ultio, anxius*, etc. Antehac hunc locum sic prorsus corruptum atque obscurum exhibuerunt: *ut nos semper auxilii uestri caritate nuper ad libertatem piae constitutionis* (pauci habent, *conquestionis,*) *impleuerit.* Nos primum hunc locum integritati suae restitutum repraesentamus. Alter Gudii liber nobis saniores ex Codice MS. ostendit lectionem, dum pro uulgato nomine, *auxilii*, annotatum refert, *anxios.* Valentinus Acidalius hunc locum in notis suis sanare conatus erat; sed uide, quam inuita Minerua! *Vt nos sempiterna illa uestrae caritas nuper ad laborem piae consecutionis impulerit.* Neque parum se torisit Gruterus in hoc loco emendando; quamuis non nihil de uoce, *anxii*, diuinauerit. *Nilhil hic intelligo*, inquit de uulgata lectione. *Forte fuit: super auxilii uestrae caritate. Sed quid et illud sibi uelit, nescio, an conicere licet? sempiterna uestra caritate; aut adeo, semper anxii uestri caritate, etc. ut uox, impleuerit, mutanda ueniat in aliud.* Iacobus de la Baune haec commentatur. *Hic locus mirifice uexauit eruditos: supersedeo uarias eius lectiones referre, quae plus obscuritatis, quam lucis, afferunt. Igitur, uulgarem scripturam retinco, sensusque erit: ita uis diuinitatis uestrae nos egit in uarias orbis partes, ut nobis aman-*
tissime

pliae ²⁹ conquestionis impulerit, cum itinera
 uestra,

missime suppeditavit semper auxilium vestrum, sic, ut nuper etiam pie conqueri nobis fas esse putaremus, cum etc. Sed ista, cum minus cohaereant, magis obscurant uerba Mamertini, quam illustrant. Rem propius iam ante acu tetigerat Liuius in notis suis; qui tamen optimam coniecturam non ausus est admittere in contextum; et cui neque alii obtemperarunt. *Locus mendosus*, inquit. *Coniicio uerum*: ut nos, semper anxios uestri caritate, nuper etc. *et mox*, impulerit; non, impleuerit. Sed dignam hanc lectionem iudicavi, cui locum darem; neque eam harum rerum intelligentibus displicenturam, spero; nec mirum his accidet, quemadmodum ab imperitis librariis pro uoce, *anxios*, uulgo obrudi potuerit nomen *auxilii*: cum similis uarietas etiam Quintilianum in quibusdam codicibus maculauerit. Vbi enim, *lib. XI instit. orat. cap. 1*, nunc recte legitur: *anxium de fama ingenii*; ibi, teste Burmanno, pariter codices quidam perperam habent: *auxilium de fama*.

29. *Conquestionis impulerit*. Vtraque haec uox dudum uitiata hunc pauegyricum deformauit. Pro uoce, *conquestionis*, irrepperat, *constitutionis*; et uerbum, *impulerit*, conuersum erat in *impleuerit*, ut nescires, quid Mamertinus sibi uoluerit. Acidalius suaserat, ut reponeretur, *consecutionis*. Liuius, in suo pariter uetere ac Bertiniensi Codice inuenerat, *conquestionis*, notaueratque in ora libri sui; nec tamen in hac uoce ueram agnouerat lectionem. Agnouit tandem Gruterus, eamque in contextum recepit, eiectione *constitutionis* uocabulo, quod eo usque omnia inuaserat horum pauegyricorum exemplaria: cum alterum illud se tueretur au-



uestra, 30 ipsis hibernis diebus, per uicina illa
 coelo

cloritate duarum membranarum. Nunc uero accedit et
 mei Codicis, et utriusque libri Gudiani, suffragium; eandem-
 que lectionem iam admiserunt, Puteanus, Baunius, Cellar-
 rius, Patarol. Caue uero, per *conquestionem* intelligas, quod
 scriptores medii aevi a *quaerendo* dixere *conquaestionem*, seu
 pro illius temporis ratione scribendi, *conquestionem*, item
 et *conquestum*, i. e. acquisitionem terrarum per bella; unde
 et *conquestor*, dictus est, qui Gallis audit *conquerant*, siue
conquerentur, h. e. expugnator urbium, domitor populorum,
 finium principatus amplificator. Verius et rectius Mamer-
 tino *conquestio* idem est, ac querela, querimonia, a uerbo,
conqueri. Proba haec uox est, et ipsi Ciceroni usitata. u. g.
 pro *Murena*, cap. III: *Me non minus hominis sapientissimi at-
 que ornatissimi, Ser. Sulpicii, conquestio, quam Catonis accu-
 satio, commouebat.* Idem lib. I ad *Q. fratrem*, epist. I, §. 7:
*Vbi nullum auxilium, nulla conquestio, nullus senatus, nulla
 concio.* Auctor rhetor. ad *Hevennium*, lib. III, cap. 13: *Am-
 plificatio diuiditur in cohortationem et conquestionem.* *Quin-
 tilianus*, lib. VI *instit. orat.* cap. I: *Cicero accommodauit Mi-
 loni et uerba, et conuenientes etiam forti uiro conquestiones.*
Suetonius, in *Tiberio*, cap. LXX: *Composuit et carmen lyri-
 cum, cui titulus: Conquestio de L. Caesaris morte; ubi qui-
 dam libri uulgati inepte, conquisitio.* Sed etiam uerbum,
impulerit, exulauerat ex plurimis libris, permutato uerbo,
impleuerit; quod hic louum habere nequit. Licet uero iam
Rhenanus, in margine editionis suae, et *Liuiueius*, ex con-
 iectura scripissent, forte legendum, *impulerit*: praeter cete-
 ros tamen, *Gruterus* etiam, *Puteanus*, *Baunius* et *Cellarius*,
 retinere, *impleuerit*. Solus *Patarol* excudi iussit, *impulerit*.
Gruterus quidem in notis: *Maluissimem*, inquit, *impulerit*,
 si ulla

coelo Alpium iuga, quibus Italiam natura
ualla-

si ulla aura libri scripti exorta fuisset, audaciae nostrae uelo deducendo. Sed, ecce, iam adspirat larga aura uelo Gruteriano ex Codice meo, ubi euidenter scriptum est, *impulerit*; accedit et consensus aliorum Codicum MSS. quos consulit Gudius, in utroque libro suo. Iam uero, ni fallor, facillime intelligi potest sententia Mamertini, qui, quod iam supra monui, haec dicere uoluisse uidetur: Ipsa uis diuinitatis uestrae uos tantis discursibus deducit, et agit, ad excurrendum in uniuersum orbem, quem regitis, ut nos, cum semper de uobis solliciti et anxii sumus charitate uestri, nuper impulerit, et quasi inuitos induxerit, ut libere, nostrae tamen pietati conuenienter, auderemus conqueri, scilicet de absentia uestra, et de tot periculosis itineribus uestris. Quae sententia, nescio, quid esse possit planius?

30. *Ipsis hibernis diebus.* In his uerbis nemo facile aliquid desiderauerit. Varro, *de re rustica, lib. I, cap. 28: dies hiberni sunt ex a. d. III Id. Nouembr.* At non possum non monere, in meo Codice haec uerba ita exarata esse: *ipsis hibernis hostilis diebus.* Eandem uocem, *hostilis*, Liuius in duobus antiquis Codicibus repererat. Etiam Gudius in altero libro notauit, tres uetustissimos codices eandem hanc lectionem habuisse. Equidem uox, *hostilis*, nihil est; cum nequaquam in hunc locum conueniat: interim ea haud obscuram affert suspicionem, sub hac aliam uocem latere; cum non prorsus frustra, neque praeter omnem rationem, inserta fuerit contextui. Facile tamen concedo, eam corruptam fuisse a rudibus librariis, qui ueriores uocem in uetustiore Codice, in quo ex ueritate literae quaedam exoleuerant, non satis legere, neque intelligere poterint. Venerat mihi in mentem, an forte sub uoce *hostilis*

uallauit , perque illa faxes , et durio-
 rem faxis

hic lateat uox *hospitii* ? unde ista uerba sic constitui possint :
ipsis hiberni hospitii diebus. Quibus uerbis Mamertinus si-
 gnificare potuerit , Maximianum , relictis hibernis , ubi cum
 exercitu stationem habuerit , et quasi in hospitio hiemem
 transigere , ac quiete hospitari potuisset , ipsa acerrima hie-
 me per Alpium iuga contendisse Mediolanum . Sic in Eume-
 nii *gratiarum actione* , cap. III , legimus , Gallos transalpi-
 nos , et sigillatim Aeduos , Romano Imperio sese tradidisse ,
hibernis hospitaliter praebitis , suppeditatis largiter commea-
 tibus , armis fabricandis , pedestribus equitumque copiis
 auxiliantibus . Sed nondum in hac correctione acquiesco ;
 cum mihi ipsi fere magis placeat coniectura Liuiinei et Gudii .
 Scilicet Liuienius pro uoce , *hostilis* , aliam huic loco con-
 uenientiore hinc eruit lectionem . *Inserunt* , inquit , *post* ,
 hibernis , *Codices MSS. hostilis.* *Vnde exsculpsi aegre et cum*
cura , solstitii : ut integer locus sic concinnetur : *ipsis hiber-
 ni solstitii diebus.* Eodem modo legendum esse , etiam Gu-
 dius in altero libro annotauerat . Apprime haec lectio con-
 gruit rei gestae . Infra enim , cap. VIII , Mamertinus tempus
 itineris horum Imperatorum ita describit : *Sed qua tandem*
uice temporum ? quo tempestatis habitu , scil. profecti estis ?
Nempe hieme saeuissima , et in his quoque regionibus inusitata ,
cum agros glacies , glacies niuem , premerent , coelo pariter ac
terris uniformibus , cumque ipsi anhelitus hominum circa sua
ora concretu rigore canescerent. etc . Pulchre haec designare
 possunt solstitii hiberni asperitatem . Illud quidem non nul-
 lum mihi scrupulum ab initio mouit , quod probati auctores
 linguae Latinae , ut Varro , Cicero , Plinius maior , atque
 alii , *solstitium* haud dixerint de bruma . Scilicet hodie qui-
 dem uulgo duplex nominamus *solstitium* : alterum *aestiuum* ,
 quod

saxi niuium densitatem , desiderio uestri
et

quod ad xxiiii Iunii refertur ; alterum *hibernum* , quod in xxi Decembris incidit : at ueteres illi solam aestiuam solis stationem uocarunt *solsitium* ; alteram *brumam* , siue tempus brumale , aut hibernum. Verum scriptores sequioris aevi uocabulo *solsitii* promiscue de aestiuo et hiberno usi sunt. Sic e. g. Solinus , in *polyhistore* , cap. xxxv , scripsit , in insula Thule , *aestiuo solsitio* , sole de Cancris sidere faciente transitum , noctem paene nullam esse ; *brumali solsitio* , diem adeo conductum , ut ortus iunctus sit occasui. Immo , iam ipse Columella , melioris aevi scriptor , *lib. de re rustica* vii , cap. 3 , et *lib. xi* , cap. ii , *brumale* et *hibernum* dixit *solsitium*. Vtuncque est , cum uulgata lectio adhuc stare possit , neque sententiam Mamertini tenebris obducat , aut prorsus euertat ; contra autem uestigia emendationis nondum satis uideantur expedita : in his uerbis nec dum ausus sum aliquid innouare.

31. *Et, si.* Cum hucusque particula , *si* , in nullo , uel scripto , uel impresso exemplari , locum inuenerit ; fere contigit , ut pauci sententiam Mamertini percepisse uideantur. Tentarunt quidam loco huic in morbo cubanti remedium afferre : sed tentarunt sine felici successu. Patarol , Venetus quondam doctissimus , hanc lectionem prodidit : *et uirtus uestra non sentiret , pati uos putaremus iniuriam*. His breuem hanc notam subiecit : *Sic legunt omnes ; sed corruptus hic sane locus. Inferenda , puto , uox , licet ; seu postea legendum : dum pati uos putaremus iniuriam*. Ego in his parum sani animaduertere possum. Adhaec , pronomen , *nos* , incommode conuertitur in *uos* ; quamuis alioquin haec praenomina frequenter permisceantur ; atque etiam , *nos* , Liuius e suo Codice annocarit. Hic uero Liuius non quidem admittit pronomen

et amore sequeremur, ³¹ et, si uirtus uestra non sentiret, pati nos putaremus iniuriam.

men, uos; at, inserta particula, quam, quae in margine notata est, putauit, contextum posse adiuuari: et quam uirtus uestra non sentiret pati nos putaremus iniuriam. Verum, neque hic conspicio maiorem lucem, quae inde affundatur Mamertino. Acidalius haec commentatus est: Rhenanus (in margine editionis suae annotauit,) et si. Lege: et licet. uirtus uestra non sentiret, pati uos putaremus iniuria. Sed nescias, an etiam ex hac emendatione plus caliginis, an luminis, inducatur uerbis Mamertini. Beatus Rhenanus ex sola coniectura orae libri sui adscripserat, et si. Bene; si diuellatur haec particula in duas partes; prout eam diuelli in contextu. Sic uero, si quid iudicare possum, ex tam leni remedio omnia fluunt leniora, firmitusque cohaerent; quanquam praeoptauerim legere: quod si uirtus uestra non sentiret, etc. Ita uero ista uerba coniunguntur: cum sequeremur itinera uestra, ac uos animo comitaremur per alpes, desiderio et amore uestri; et putaremus, nos pati iniuriam, duriusque nobiscum agi, si uestra uirtus atque humanitas non sentiret et animaduertet, nos nempe tanto amore tantoque uestri desiderio uos prosequi. Haud negamus, nos in hoc mendo corrigendo auctoritate Codicum MSS. destitui: sed uix aliquis leniore remedio in releuando loco tam luxato uti poterit. Hoc autem ipsum remedium suggerit necessitas certae sententiae sine ambagibus constituendae; comprobant circumstantiae, et ostendunt alia similis corruptelae exempla, quae facile congerere possemus, nisi iam temporis chartaeque ratio sit habenda. Quam saepe uero accidit, ut in scribendis particulis, et si, uel prior, uel posterior, sit praemissa!

EXPLICIT. PARS. I. OBSERVATIONVM PHILOLOG.,
AD MAMERTINI PANEGRICVM GENETHLIACVM.

GRATVLATIONES.

S*I Mamertino reddis sua lumina ; quanta,
BEZZELI, hinc uenient luxque decusque tibi !*

Pereximio BEZZELIO
industriæ rectique moris nomine
sibi charissimo
gratulabundus dabat
C. G. SCHVVARZIVS.

I*ncipis egregie patriis infistere metis,
Ductu qui SCHVVARZI scandis eam cathedram ;
Qua dotes Patris Venerandi sunt celebratae :
Auguror inde eadem præmia certa TIBI.*

NOBILISSIMO DOMINO DEFENDENTI
*Amico et Contubernali suo suauissimo
de Specimine eruditionis gratulabundus
haec dedit*

IOH. THOM. BVRGER,
SS. Theol. C.

Monieur,

V*ous avez suffisamment verifié aujourd'hui la bonne opinion, que
tout le monde a conçue de Votre capacité. Il me faut avouer,
que Vous avez fait des merveilles et qu'il faut être très habile pour al-
ler du pair avec Vous. Si Vous aimiez grands eloges, j'aurois une belle
occasion de chanter à present plus amplement Vos louanges. Mais comme
Votre modestie ne m'est que trop connue, je me bornerai à Vous souhai-
ter encore d'un succès bureux dans Vos études et toute sorte de bonheur.
Si le Tout-puissant exauce mes voeux, tous Vos amis en seront bien ai-
ses, et principalement moi, qui serai toute ma vie avec beaucoup d'estime*

Monieur,

Votre très humble
et tres obeissant Serviteur

JEAN FREDERIC LOCHNER
Etudiant en Droit, Oppon.

Weil sich Fleis und schöne Gaben,
 Freund, in DZM vereinigt haben;
 Suchest Du der Ahnen Ruhm,
 Als ein köstlich Eigenthum,
 Durch DEJM Wissen zu vermehren:
 Und gewis, ich sehe schon,
 Daß DJEH Pallas, ihren Sohn,
 Trachtet nach Verdienst zu ehren.

Mit diesen geringen Zeilen wolte bey dem
 Wohlbedienten und Wohlgelehrten
 Herrn Respondenten, als seinem
 werthgeschätzten Freund und Ver-
 ter zu der rühmlich abgelegten Probe
 seines Fleisses seinen ergebensten Glück-
 wunsch abstaten

Andreas Georg Beck, aus Nürnberg, Opp.

COROLLARIA.

- I. *Idoneum iuris naturae principium est, pacem externam non esse turbendam.*
- II. *Vere docuerunt Stoicæ, omnia peccata esse aequalia.*
- III. *Neque iidem absurde docuerunt, affectus esse extirpandos.*
- III. *Ethica philosophica et christiana, nec sibi, nec iuri naturae, contradicunt.*
- V. *Dantur etiam leges permittentes.*
- VI. *Non peccant Magistratus christiani, si praeter et aliquando contra leges forenses Iudaeorum aliquid constatuunt.*




Q 3949 * 8

Q 3949 Q

X 266 59 38

Retro V

Ant.



Ch 42.17 4

OBSERVATIONES PHILOLOGICAE
AD
CLAVDII MAMERTINI
PANEGRICVM GENETHLIACVM
MAXIMIANO AVG. DICTVM

QVAS
PRAESIDE
CHRISTIANO GOTTLIB. SCHVVARZIO
COM. PAL. CAES. ET ACAD. ALTORFINAE SENIORE
AC PROF. PVBL.

VII SEPTEMBR. A. S. R. CIO IO CCXXXVI
IN CIRCVLO ACADEMICO
AD DISQVIRENDVM
PROPONIT

ERHARDVS CHRISTOPHORVS BEZZEL
PERINGERSDORFIO NORIMBERGENSIS



ALTORFII NORICORVM
TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

